

timam eversionem, ejus excidio praesum est; eodem etenim fato cum Urbe, Templo & Judaeorum dispersione, Sanhedrium quoque obvolutum penitus interiit. Hinc post illum memorabilem gentis Judaicae casum nullibi locorum auditum est Tribunal sive Senatus, qui dispoticam plenamque auctoritatem super gentem uni-

versam exerceret: quare frustra Sanhedrii vestigia exquiruntur in coetibus quibusdam ex reliquiis Judaeorum collectis, qui precario accepta auctoritatis umbram exercebant. Hac visa sunt majoris momenti & fidei, quae de Sanhedrio Judaico, omnium ore celebratissimo, referuntur.

DISSERTATIO

DE BEEL-PHEGOR, CHAMOS, caeterisque Moabitarum Diis.

UTriusque simul Numinis Beel-Phegor, & Chamos hunc locum esse censuimus, quod ambo inter Moabitarum Deos à Moyse adoptentur. Nota sunt etiam in S. Scriptura ejusdem gentis, uti credimus, Numina *Nebo, Baal-Meon, & Baal Dibon*. Hac simul omnia expendere imprefentiarum constituimus, ne molestâ satis repetitione eadem saepe oggerere cogemur; idèd maxime quod variis hisce nominibus unum eundemque Solem, Adonidem, Osiridem designari non incongruè autumamus. Est autem nobis propositum afferendi primum ea, quae de hoc argumento Scriptura suppeditat, tum conjecturas nostras eâ de re subjiciemus.

Nomen Chamos ex Arabica radice derivatum accelerare significat; eodemque apud Moabitas Numen designabatur, quod velut universae gentis supremum Regem & Dominum colebant. Hinc saepe in Scriptura Moabitarum appellatur populi Chamos (a), & Prophetae imminem in Chamos ejusque populum captivitatem & mala minitantur (b). Tandem Moabitis regionem Amorrhazorum, ab Hebraeis sub Moyse occupatam, repetentibus [c], quod scilicet veteri jure ad se pertinuisse dicerent, Judaei hac reponunt: *Nonne ea qua possedit Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quae autem Dominus Deus noster visor obtinuit, in nostram cedent possessionem*. Scitum est etiam, Salomone curante, Templum Diis Moabitarum in monte è regione Jerusalem (d) excitatum fuisse, quem locum Israelita frequentasse saepe, atque cultum Chamos impendisse legimus. Quae verò hujus Numinis esset figura, quis ritus, nullibi satis expressum in S. Scriptura invenitur. Haecenas S. Scriptura de Chamos.

Ex affinitate duorum nominum Ammon scilicet & Chamos, unum eundemque Deum utroque appellari vocabulo, illo apud Aegyptios, hoc apud Moabitas, aliqui suspicari sunt. Macrobius Ammonem & Solem confundendos censet (e); illius enim cornua ait, hujus radios designant. Porro Am-

monis cultus longè latèque obtinebat per Lybiam, Aethiopiam, Indias, Arabiam, ubi & Moabitarum sedes habebant (f).

Quamvis Aethiopiae populis, Arabumque gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon.

Nomen Chamos celeritatem, expeditumque aliquid sonans, cum Solis rapido circa terram motu quadrat.

Apud Authores Prophanos nota sunt synonyma Solis, Deus Homanus, & Apollo Chomeus; cuius posterioris Numinis simulacrum è Templo suo in Templum Palatinum, Romae excitatum, translatum fuisse Ammianus testatur (g). Deo Romano aeternum ignem servasse Orientales, maxime Persas, & Cappadoces, Strabone auctore proditum est (h). Porro ignes Soli arsisse ignorat nemo, servatosque credo intra septa, seu in Templis illis subdivalibus, de quibus Moyse sub nomine Chamanim [i], & Strabo voce Pyraeja, vel Pyraejae. Urbes etiam Comanae in Ponto, Pisidia, & Cappadocia facile ex Chamos vel Chamanim, nomen derivasse suum crediderim: In his Urbibus celebre habebatur Templum Belloniae, ejusdem, quantum conjicio, Numinis ac *Bel Awa*, seu *Anais*; Luna, vel Diana (k). Hic autem opportune recolenda sunt, quae in Dissertatione de Moloch fusè demonstravimus; de cultu nempe Solis & Lunae, quemadmodum & de nominibus utriusque astri variè confusis permixtisque apud Orientales.

Templa Chamos editis potissimum locis insidebant, quemadmodum de Templo à Salomone aedificato in superioribus observavimus. Ex Templo in ejus honorem supra montem Nebo erecto, facile Numini inditum est nomen *Nebo*; & cum Moyse refert deductum à Rege Moab Balaa-num [l] ad *excelsa Baal*, facile pro *excelsa Chamos* positum est; cum nomen Baal aequè de omnibus usurpari consueverit, & Moyse nonnisi de Chamos ad id usque habuisset sermonem.

Nec

a Num. 21. 19. Jerem. 48. 46. Peristi popule Chamos. b Jerem. 48. 7. Ibit Chamos in captivitate, Sacerdotes ejus & Principes ejus simul. c Judic. 11. 14. d 3. Reg. 11. 7. & 4. Reg. 23. 13. e Macrob. Saturn. 1. 1. c. 21.

f Lucan. Pharsal. 1. 9.

g Amm. 1. 23. Avulsum simulacrum Chomei Apollinis, perlatum Romam in aede Apollinis Palatini Deorum Antistes collocarunt.

h Strab. 1. 15. i Levit. 26. 30. & 2. Paral. 34. k Strab. 1. 20. Cic. de leg. Manil. Hiri. de bell. Alex. c. 66. Caesar venit Comanae, vetustissimae & sanctissimae in Cappadocia Belloniae Templum, quod tanta religione colitur, ut Sacerdos ejus Dea majestate, imperio & potentia secundus à Rege consensu gentis illius habeatur. Vid. Cellar. Geogr. 1. 3. c. 8. pag. 198.

l Num. 22. 41.

m Amos 5. 26.

Nec abs re etiam suspicatus fuero, quae mea est conjectura, Idolum *Chium*, cuius fecum detulisse per desertum aedulas Amos vitio vertit Judaeis, idem esse Numen ac Chamos, cui apud eundem Amos socius jungitur Moloch Deus Ammonitarum [m]. Moyse enim nunquam Hebraeis exprobrat cultum Moloch, sed tantum Mysteriis Phegor Dei Moabitarum initiatos reprehendit. Nomen *Chium* cum Chamos congruit; Septuaginta, & S. Lucas Actuum 7. 43. pro *Chium* legunt *Rephan*, vel *Remphan*. Facile, quantum conjicio, Interpretes illi nomen genericum Idoli pro Chamos substituerunt. *Rephan* ex eadem radice ac Teraphin deducitur, ablatum enim *te*, quod facile loco articuli positum est, remanet *Rephan*, nomen facile Idoli.

Sunt inter Interpretes, qui Chamos, cum *Chamos* confundant, quae sanè vox Graecè sonat Deus crapulae; sicut Phegor redditur Deus salacitatis. Porro nomen *Chamos* Baccho sive Dionysio tribuitur, & Phegor Deo Priapo; uterque autem Deus ad Solem refertur. Ita Gerardus Joannes Vossius l. 2. cap. 8. de Origine, & progressu Idololatriae. Sed has conjecturas ex harmonia quadam vocis Graecae cum Hebraeo nomine deductas, futiles esse neminem latere arbitror.

S. Hieronymus, & Interpretum plerique in ea sunt opinione, ut Chamos & Phegor confundant; quod sanè nobis verissimè didum creditur. Peficla referente scimus Idolum Chamos, ex nigra petra constans, muliebrem figuram retulisse. Nicetas Venerem esse arbitrat; omnia fidei sublesta.

Qui putant Chamos veterem fuisse Ammonitarum Principem, ab illis post obitum consecratum, illi sanè Numini & humanam figuram & Regis insignia tribuunt. Sed unde nam illi opinionem suam derivarunt? Ammonita & Moabita recentiores sunt populi, cum Ammon & Moab filii Loth, coevi fuerint Isaac filio Abrahami; quare eorum posteritas non prius in unam gentem adolevisse potuit, quam cum Israelita ipsi adoleverunt, nempe 100. annis ante obitum Moyse circiter. Qui igitur fieri potuisse credimus, ut ejusdem Legislatoris aetate Principem suum jam consecraverint? Haec sunt quae de Chamos afferuntur conjecturae; restat modò, ut certius aliquid de *Beel-phegor*, si quid poterimus, afferatur.

Beel-phegor, sive Deus Phegor eundem esse cum Phegor nullus dubito; quod sanè Origeni & S. Hieronymo prius visum, omnibus deinde Recentioribus Interpretibus probatum est. Porro *Beel-phegor* juxta Origenis interpretationem est *Idolum turpitudinis* [n]; quam scilicet turpitudinem, verecundia parcens, Moyse a posterioribus verbis exprimere noluit. Addit idem Origenes, cultui Numinis mulieres praeter additas fuisse Et S. Hieronymus post illum [o]; *Colentibus maxime feminis*, ait, *Beel-phegor ob obscenitatem, quem nos Priapum possumus*

appellare. Censet autem viros illos effeminatos, & mulieres in cultum Idolorum prostitutas, de quibus saepe in Scriptura, (p), mysteriis *Beel-phegor*, sive Priapi initiatas fuisse. Hisce caeremoniis praesidebat Maacha, mater Regis Afa, coacta tandem pii filii auctoritate Sacerdotium deponere. Tandem sequitur idem Hieron. in Ose. 9. Interpretatur *Beel-phegor* *Idolum tentiginis, habens in ore, id est in summitate, pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet*. Probrosi hisce cultus *Beel-phegor* caeremoniis probrosiorem alteram addentes Rabbinii censent cum Maimonide, obscenorum membrorum revelatione cultum Numini impendi consuevisse (q); & cum Jarchi, oblata fuisse Deo excrementa, quod vix credimus. Quod autem maxime confirmat opinionem Phegor cum Priapo confundentem, illud est, quod Ose. 9. 10. pudenti *Beel-phegor* cultus describantur; *Ipsi autem abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt*. Scitum est, quantâ impudentiâ filia Moab Israelita ad crimen provocarint (r); nec sanè ignotum, sive Priapi Numen, sive cultus ei Numini impensus.

Sunt qui *Beel-phegor* ad Saturnum referunt, (s) cuius postremi Numinis cultui Arabia, in qua Moabita, devovebatur. Nomen *Beel* pariter Phegor & Saturno commune erat, & Saturni Sacerdotes nudos se coram Numine saepe planè sibeant. Hisce conjecturis opinionem fulciunt, quae tamen nutat.

Alii ex nominis etymologia naturam Phegor deprehendere tentantes, observant vocem illam ex Chaldaeo deductam, sonare ventris relaxationem; ex quo conjectura locus, Phegor ipsissimum esse Deum Crepituum ventris, quem apud Aegyptios, unâ cum Deo Ruclu consecratum narrat Origenes (t), & S. Hieronymus (u), sicut & ante illos Minucius Felix (*). Nec sanè indigna erant ea Numina, quibus ab Aegyptiis divini honores deferrentur, cum apud eas gentes vel ipsi porri, cepae, crocodili, lupi, febris, procellae, fulmina, mala fortuna consecrarentur. Sed frustra hisce conjecturis futilibus arguendis immoraremur.

Aliis inter Eruditos (x) visum est, nomen *Beelphegor* nonnisi per ludibrium Deo Moabitarum tribui; quem enim Moabita facile appellarint *Baal-reem*, Deum tonitruum, hunc ab Hebraeis per contemptum Deum crepitus ventris audisse autumant. Ita planè Deum Accaron Judaei appellatum voluerunt *Beelzebub* Deum Muscarum; & *Behel*, Urbem Idolo aureo Jeroboami consecratam, immutato nomine, *Behaven*, domum iniquitatis, nuncuparunt.

Vossius tandem [y] nomine *Beelphegor* designatum credit Solem, & Priapum, quo posteriori nomine Solem eundem sepius denotari in Theologia Paganorum constat. Porro etymon Priapi accersit ex Hebraeo *Ab Pater*, & *Peor* vel *Phegor*; ac si diceretur *Deus* vel *Pater Peor*, quomodo usurpari solet apud Paganos *Pater Jupiter*, *Pater Neptunus* &c.

N 2 Reil

p Vide 3. Reg. 15. 13. & 2. Par. 9. 16.

q Vide Maimon. More Neboch. p. 3. cap. 46. & Jarchi in Num. 25. 3.

r Num. 25.

s Theodoret. in Ps. Apollin. in Caten. in Ps. Suidas Mas. in J. Juc. Otringer. Hist. Q. riant. c. 7.

t Contra Cels. pag. 255. u In Isai. 13. Ut taceam de formidoloso & horribili cepe, & crepitu ventris inflati, quae Pelusiaca religio est.

* Minuc. in Octav. Nec Serapidem magis Aegyptii, quam strepitus perpendenda corporis expressos contremiscunt. x Scalig. Buc. cer. in Ps.

y De Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 7.

2 Ps. 105. 18.

Rei gesta in agris Moabitarum, cum nempè Israelitæ in superstitionem Beelphegor irruerunt describens Psalmista neogocium Interpretibus facit (z). Initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. Quinam; rogo, mortuorum nomine designantur?

a Num. 25. 2.

Sunt qui indicata ipsa Beelphegor sacrificia crediderint; quippe qui Deus mortuorum appellaretur, Deo Israelitarum, Deo scilicet venti planè oppositus; quare Psalmistæ verba tantundem sonare censent ac Moylis illa: Qua vocaverunt [filii Moab Israelitas] eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum [a]. Favet huic opinioni S. Augustinus, aliique nonnulli (b), explicantes illud de sacrificiis mortuorum, pro victimis mortuorum hominum Numinibus oblati. Hinc Israelitæ Divinis honoribus mortuos homines coluerunt; neque enim præter homines vitâ sanctos Paganorum Deos fuisse reputandum est.

b Aug. in Ps. 105. item Casiod. Remig. alii.

Maluerunt alii, Hebræos cæteris criminibus hanc etiam fecisse accessionem, quod Moabitarum funeribus sese polluerent, tum funebribus eorum cæremoniis, tum funereis epulis communicantes; scitum est enim Paganos oblationes suas mortuis ritè solvisse (c); uti cum in media via testam relinquebant, corollis ornatam, & violis aspersam, in qua fruges, fal, & panis vino mollitus, sparsis violis. Verùm eas superstitiones apud Moabitas etiam obtinuisse, & ad Hebræos vel minimum pertinuisse, affirmare quis auit?

c Ovid. Fast. 2.

Tegula porre-ctis satis est velata coronis, Et sparsa fruges, parvæque mica salis. Inque mero mollita Ceres, violaque soluta.

Hac habeat mediâ tella relicta viâ. d De Diis Syr. Syntag. 1. c. 5.

Seldenus in suo Opere de Diis Syris confundendum autumat Beelphegor cum Plutone, five Deo mortuorum, id autem in causa fuisse, cur Psalmista Numen illud mortuum, five Mortem appellaret; sicut & oblata Manibus sacrificia, sacrificia mortuorum dicta fuisse censet (d). Laudat in eam rem Paraphrasim Apollinaris, in qua Hebræi se polluisse sacrificiis Beelphegor inducuntur, hecatombes mortuis immolatas degustantes. Apud Sanchoniatonem (e) legimus à Patre Saturno consecratum fuisse Moth, ex uxore Rheanatum; hoc autem habuisse Numen Phœnicæ, modò sub Mortis nomine, modò Plutonis invocatum. Idem Moth tanquam ex primis rerum authoribus, juxta Theologiam Paganorum, apud eundem describitur. Solebat etiam apud Ægyptios Isis eodem nomine Moth, nempè Mater, auctore Plutarcho (f), appellari; eodemque referente ex testimonio Archenaci Euboici, & Heraclidis Pontici scimus, Serapidem ipsissimum esse Plutonem, sicut Isidem Proserpinam. Ex quibus omnibus pronum est inferamus, pro eodem usurpari apud Paganos Jovem, Plutonem, Bacchum, & Solem.

e Apud. Euf. Prap. 1. 1. c. 10.

f De Isid. & Osir.

Ut certum quid in tanta opinionum varietate statuamus, atque inter futiles & multiplices conjecturas satis optimam eligamus, vix fieri posse credimus. Ea tamen præ cæteris placet, quæ Chamos, Phegor, & Moloc in unum accenset, eundemque omnes Solem designasse credit; quamquam

& illud fateamur oportet, cultum Phegor & Chamos alium fuisse ab eo, qui Moloc impendebatur. Huic enim humanis hostiis litabatur; mitiori autem, uti quidem credimus, sacrificio Phegor & Chamos gaudebant. Porro sacrificia Phegor sacrificia mortuorum appellat Propheta, unde facilis conjectura ducitur, eo nomine Adonidem, five Osirim designari, cui funebres cæremoniæ celebrabantur adhibitis lamentationibus, ploratibus, alioque apparatu lugubri. Sed hæc intacta hucusque apud alios Scriptores, maturius inpræsentiurum examinanda sunt.

Phegor Numen erat notissimum in Arabia, & Palæstina, cujus Numinis mysteriis Hebræi & initiari se, & pollui undè cum filiabus Moab passi sunt. Factum inde, ut Dei illius religionem altè adèd imberent Hebræi, ut sapius deinde in ejus cultum viros & mulieres initiarent. Hæc de Phegor, ejusque cultu in Scriptura.

Hæc autem cum cæremoniis & cultu Adonidis adèd congruunt, ut vix alterum ab illo Deum fuisse Phegor credamus.

Porro Adonidem ab Ægyptiis, quemadmodum & reliquas fere omnes Paganorum superstitiones, derivatum fuisse, neminem ignorare credo. Isis seu Venus amissi conjugis, Osiridis nempè five Adonidis ab apro occisi desiderio, Festum in ejus honorem instituit, quo funera amasi lugerentur. Post luctum tripudia veluti conjuge invento. Ab Ægypto in Judæam superstitio irrepsit; quare Ezechiel mulieres lugentes Adonidem in Templo per visum spectavit (g). Lucianus eadem sacrificia, qualia Bybli urbis Phœnicæ spectavit, describens, narrat (h) magno luctuum & clamorum per totam viam apparatu funera Adonidis celebrata fuisse. Mane alterius diei mutata omnia; spatio enim inter populos rumori de vita Numinis, ejus simulacrum in aera elatum succedit, crines abscindunt, uti in moribus positum est apud Ægyptios pro morte Apidis. Tandem ac viri, mulieres quoque observant, quarum si forte aliqua renuerit, illa in honorem Deæ prostituere se, tum & pretium prostitutionis consecrare cogitur. Hujus Festi sacrum tempus Vere, cum scilicet amnis Adonis liquatis Libani nivibus tumens, atque alvei sui arenis rubescens in mare præceps devolvitur.

g Ezech. 8. 14.

h Dea Syr.

Facile etiam credimus, gliscentes apud Babylonios easdem superstitiones designasse Baruc, cum Sacerdotes ejus gentis in suis solemnitatibus ita describit (i): In domibus eorum (Deorum) Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbaram rasam; quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos suos, sicuti in cœna mortui. Eadem apud Assyrios obtinuisse, apud quos etiam lamentationes Proserpinæ frequentes, Macrobius commemorat; quin & ab eisdem gentibus in Phœniciam derivatam superstitionem significasse videtur [k]. Addit bis in singulis anniis Festum illud recurrisset, quo scilicet mense dies decrescunt, & quo augentur; five duorum æquinoctiorum, autumnalis,

i Baruc. 6. 30. 31.

k Satur. 1. 2. c. 21.

l Plutarcb. in Alcib.

& vèni tempore, nempè lunâ, uti ferunt, decimâ septimâ. Eodem verno tempore Adonidis Festa Athenis celebrari Plutarcbus testatur (l), narrans imposita mortuorum simulacra in feretris, veluti trophæa in via statui consuevisse, qua funebris pompa Adonidis circumferebatur, totâ interim viciniâ luctibus, & ploratibus amaris oppidè insonante. Alexandrinorum luctum eâ occasione celebratum, duodecimo mense, nempè anni Ægyptiaci ab æquinoctio autumnali exordientis postremo, Theocritus describit. Tandem, cum Ezechiel per visum spectavit foeminas plorantes Adonidem, tunc sextus mensis anni sancti à Paschate initium ducentis agebatur (m). An eodem simul tempore solerent Israelitæ sacris Beelphegor initiari, modò disquirendum est.

m Vide Ezech. 8. 1.

Rex Moabitarum pessimo consultore Balaamo prophetâ usus, missis in castra Israelitarum puellis, hostes ad sacra superstitioneque suas pellexit. Quod potissimum anni tempore contigerit quamquam nihil Moyse expresserit, factum tamen, quinto ante obitum ipsius mense, nempè ante incuntem mensè duodecimum anni sancti, Februario nostro respondentem, facile credimus. Aaron frater Moyse diem clausit mense quinto anni sancti, anno Mundi 2552, ejusque obitus Mosaicum præcessit 6. vel 7. mensibus; quare decessisse Aaron debuit labente Julio, five Augusto ineunte. Secundùm hæc, bellum in Regem Arad susceptum est, brevi confectum. Tum Israelitæ secus montem Hor rectâ ad torrentem Arnon processerunt. Porro à monte ubi Aaron diem clausit, usque ad torrentem illum in sinibus ditiorum Sehon fluentem, octo tantum mansiones Moyse enumerat; usque eimensis bellum narrat cum Sehon, alterumque cum Og gestum. Duobus secundis præliis ambo Reges à populo edomiti sunt; quare non diu expeditio duravit. His auditis, Balac Rex Moabitarum accitum Balaam mali illius consilii, de quo nuper diximus, auctorem habuit. Hæc sanè omnia eo temporis spatio contigisse poterunt, quod inter labentem Julium, & diem 17. five 18. Septembris, Adonidis festo sacrum, intercedit.

Occasione igitur festi Phegor five Adonidis acceptâ, puellæ ejus superstitionis ministræ, in castra Israelitarum ad Settim in agro Moab venientes, populum ad sua sacra invitarunt. Videbantur ex amicâ gente venisse, cum Moabitas amicos haberent Judæi, ab armis in eos inferendis à Deo prohibiti; videbantur etiam oris lascivientis aspectu junioem ac victoris tripudiantem populum plus alexisse quam verbis. Quare facile seducti Judæi, in sacra atque convivia, post luctum Adonidis celebrari solita, tum & in eas, quæ superstitionibus hæc appendices sunt, obscenas religiones proruerunt.

Vix dubito Mosaicas illas leges, caventes ne in rotundum attondeant comam, ne radant barbam, neve super mortuo (vel pro mortuo) incidant carnem (n); aliâ quàm ad Phegor, Osiridem, & Adonidem (quæ

n Levit. 19. 27. 28.

tia sunt ejusdem Idoli nomina) spectasse. Cujus rei has in promptu habemus conjecturas. Scitum est, in festo Adonidis eundem servari luctum consuevisse, qui lugendis charissimorum funeribus, ploratus, ejulatus, lamentationes, tuitiones peccatoris, vestium scissiones &c. Solebant viri comas tondere, quæ foeminae passas negligebant, quamquam & aliquando avelere crines solebant. Apud Bionem in Epitaphio Adonidis Amores inducuntur, Dei funus lugentes, capite abrafo, arcum & spicula proculcantes. Sponsa Numinis per nemus oberrans, nudo pede, passisque crinibus, largo fletu sylvam irrigat. Foemine Alexandrinæ apud Theocritum sparis crinibus, aperto sinu, & vestibus discissis parent. Apud Aristophanem mulieres tecta domorum ascendunt, quod luctus sui faciant spectaculum. Porro in lugendis privatis funeribus paria tum apud Paganos, cum apud Hebræos servabantur (o); quare dum Moyse cæremoniis hæc super mortuo interdicit, eâ sanctione superstitiones tantummodò Phegor vel Adonidis interdixisse censendus est; nullâ enim lege prohiberi sibi morem finitimarum gentium, in lugendis parentum funeribus, Israelitæ unquam persuasum habuerunt.

Nec aliud spectare crediderim hortos illos superstitiosos, quos Propheta Judæis, nec raro quidem, exprobrant (p). Quis enim hortos Adonidis apud Prophanos non legerit?

In edicto, quo Deus cavet ne Sacerdotes sanus necessariorum, nisi intra certum gradum necessitudinis, lugeant, hæc mandat [q]: Non radent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facient incisuras; sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: Quæ igitur Sacerdotibus tantum interdicitur, hæc sanè continèd cæteris permessa esse constat. Alibi etiam Moyse verba facit ad Aaronem ejusque filios occasione Nadab & Abiu igne correptorum (r): Capita vestra, ait, nolite nudare (id est radere), & vestimenta nolite scindere. [scilicet lugentes funus Nadab & Abiu] Eratres vestri, & omnis domus Israel plangent incendium, quod Dominus suscitavit. Licebat ergo Israelitis & Levitis, quod Sacerdotibus interdictum erat.

Tandem jubetur à Domino Jeremias (s) renunciare Israelitis suis verbis: Abstuli à populo isto misericordiam & miserationes; & morientur grandes & parvi; in terra ista non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque caleritium fiet pro eis. Cur, rogo, hæc minis terrerentur Israelitæ; si ne lugerent eo ritu funera cautum fuisset à Legè? An minatur Deus commissurum se; ne fiat quod jam abrogatum est? Deus etiam ad Ezechielem [t]: Ecce ego, inquit, tollo à te desiderabile oculorum in plaga, & non planges, neque plorabis; neque fluent lacrima tua. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata sit tibi, & calcamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amittis ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

* Vide qua diximus ad Gen. 1. 3.

p Isai. 1. 25. & Amos. 4. 9.

q Levit. 21. 5. 6.

r Levit. 10. 6.

s Jerem. 16. 6. 7.

t Ezech. 24. 16. 17.